



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

Matthaeucci, Augustín

Francofurti Ad Moenum, 1711

Reg. un. Instructio Parochorum, & Confessariorum pro casibus, quorum
absolutio, seù dispensatio impetratur à Sacra Pœnitentiaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40684

tiaria, quamvis matrimonium sit nullum, ratione etiam occulti impedimenti, dispensare, ita ut de novo possint inter se contrahere, non adhibitis, seu repetitis solemnitatibus, à Cone. requisitis. Si vero impedimentum sit manifestum: iterum contrahendum est, repetitis omnibus solemnitatibus in primo contractu adhibitis.

REGULA UNICA

Instructio Parochorum, & Confessoriorum pro casibus, quorum absolutio, seu dispensatio à Sacra Pœnitentiaria Apostolica impetratur.

108. **C**um sæpè sit experientia compertum, plurimos utriusque sexus Christianos, & præcipuè in longinquis degentes, censurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, necnon irregularitatum, & casuum quoquo modo reservatorum ligaminibus adstrictos, ad Sanctam Sedem, eisque Sacram Pœnitentiariam spectantibus irretitos, in illis lachrymosè persistere, & continuis conscientia agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali causas ex similibus provenire innouant.

Primo eo, quòd Parochi, vel alii, ad quos hujusmodi Pœnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut locis Ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoscunt, ad quem supplicationes dirigant, undè Pœnitentes perplexos dimittunt, qui cum ad Ordinarium accedendi

(præsertim si sint fœminæ) verecundia, aut timore intercludantur, consilium ulterius requirere nescientes, remedium desperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis in se descendunt.

Secundo evenit, quòd Pœnitentes egent recognitionem pro sollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, ex quibus non valentes mercedem, afflicti, ac conscientia motibus concussis, in periculoso statu manere coguntur, & forte (quod pejus est) sibi persuadent, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera Sacræ Pœnitentiariæ Ministri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam spontè oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes, serena fronte complectantur.

Tertiò Accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponendum, ut gratia juxta exposita obtenta, irrita evadant, eo quia casus, & circumstantias necessarias retineant, unde fit, quòd literarum executores, casu postea Pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quàm expressum fuerat, compariant, & gratias subreptitias, aut obreptitias esse inverfiant, quare pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus, &c. miserabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum esse speratur, si iste modus recurrendi ad ipsam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confessores itaque, cum Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates, & præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occulta matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinet ad Sacram Pœnitentiam.

Et sic præfati Confessores poterunt casus Pœnitentium præfatos cum dictis circumstantiis, & causis exponere, sive latino, sive quocumque alio idiomate propria Regionis; nam Sacra Pœnitentia suos ex quacumque Regione Pœnitentiarum subordinatos habet; & exprimant insuper in fine expositionis casus, nomen, cognomen, cui sit à Sacra Pœnitentia rescribendum, etiam si ipsum nomen, & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secuta dirigi possit, significando scilicet vulgari nomine, Oppidum, seu Civitatem, & Regionem, cum data mensis, & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epistolam, seu supplicationem sic:

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

N. Mulier emisit votum simplex castitatis, manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epistolam, seu supplicationem sic:

Dignetur Eminentia vestra rescribere:

ad N. & N. & exprimant nomen, & cognomen illius, cui est rescribendum; Ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, seu gratiam simplici Confessario, seu Confessario Magistro in Theologia, sive decretorum Doctore, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim femina cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epistolam, seu supplicationem scribendo extra, seu à foris in hunc modum.

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Cardinali Majori Pœnitentiarum.

Romam.

Et si tardaverit responsio, confessarii rescribant, & si opus fuerit, semel, & iterum, ne forte prior Epistola sit perditata.

Rogantur insuper Parochi, sive Confessarii, ad quos præfates Literæ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt, pro animarum salute communicare.

Ne nimis laborent Confessarii in danda executione Litterarum S. Pœnitentiariæ superadduntur nonnullæ formulæ pro bono ipsarum usu; desumptæ ex libro, cui titulus est.

Manuductio ad executionem Litterarum Apostolicarum S. Pœnitentiariæ, Auctore P. Tiburtio Navar. Ord. S. Francisci.

(Dddd) 3:

109. For-

109. *Formula concedendæ dilationes ad implendum Vota.*

Insuper Auctoritate Apostolica, specialiter mihi delegata tibi dilationes ad implendum Votum Religionis, quod emisisti, concedo. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

110. *Formula absolvendi à transgressione Voti Religionis, aut Castitatis, si matrimonium contractum sit.*

Item Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata te, non obstante Voto Religionis (vel) Castitatis, quod emisisti, & transgressus fuisti, in matrimonium remanere, & debitum conjugale reddere posse, & debere declaro, & ut idem debitum etiam exigere licite possis, & valeas tecum eadem Auctoritate Apostolica dispenso. In Nomine, &c.

111. *Formula commutationis voti Religionis in alia opera.*

Item Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, tibi votum Religionis, quod emisisti, in opera pietatis, quæ tibi præscripti dispensando, ad effectum licite contrahendi matrimonium (seu) ad effectum remanendi in sæculo in vita celebre commuto. In Nomine Patris, &c.

Pro commutatione votorum Castitatis, aut Peregrinationis eadem formula inseruit, mutatis mutandis.

112. *Formula dispensationis super impedimento occulto affinitatis, proveniente ex copula illicita ad contrahendum matrimonium.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum

super impedimento primi, seu secundi, seu primi, & secundi gradus affinitatis, ex copula illicita à te habita cum Matre, aut Sorore, aut Consobrina, aut, &c. mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente, ita ut præfato impedimento non obstante, matrimonium cum dicta muliere, publica servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare, ac in eo remanere licite possis, & valeas. In Nomine Patris, &c.

Insuper eadem Auctoritate Apostolica, prolem, quam ex matrimonio suscepisti, legitimam fore decerno, & declaro. In Nomine Patris, &c.

113. *Formula dispensationis super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente ad remanendum in matrimonio contracto.*

Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento primi, vel secundi affinitatis gradus, ex copula illicita, quam cum Sorore, vel Matre, vel, &c. tua putata conjugis antea habuisti; ita aut illo non obstante, renovato consensu, cum præfata conjugate matrimonium cum illa contrahere, consummare, & in eo remanere licite possis, & valeas. In Nomine Patris, &c.

Item eadem Auctoritate Apostolica prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In Nomine Patris, &c.

114. *Formula dispensationis super incestu, non expresso in Litteris obientis à Dataria ad contrahendum.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata dispenso tecum super

super impedimento ex incestuosa copula, quam cum tua consanguinea, sed affine habuisti, proveniente, ut, prefato impedimento non obstante, matrimonium cum illa ad formam litterarum dispensationis, quam à Sede Apostolica obtinuisti, contrahere licite possis, & valeas. In nomine Patris, &c.

115. *Formula dispensationis super impedimento ut supra, ad remanendum in contracto.*

Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento ex incestuosa cognitione in literis dispensationis, cujus vigore contraxisti, non expressa, proveniente, denuò matrimonium cum illa contrahere, renovato consensu, & consummare, ac in eo remanere licite possis, & valeas. In Nomine Patris, &c.

116. *Formula dispensationis pro Consanguineis, vel Affinibus, qui ignorantes gradum prohibitum, matrimonium contraxerunt, publicationibus in Ecclesia factis.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento tertii, vel quarti gradus consanguinitatis, vel affinitatis, ut in illo non obstante cum tua putata conjuge, prævia renovatione prioris consensus, matrimonium ferretò inter te, & ipsam contrahere, & consummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere licite valeas. In Nomine Patris, &c.

Item Auctoritate Apostolica prolem, si quam suscepisti, vel susceperis, legi-

timam esse, & fore decerno, & declaro. In Nomine Patris, &c.

117. *Formula pro iis, qui matrimonium contrahere desiderant cum impedimento criminis occulto.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente (vel si aliud crimen sit, illud exprimatur) ut illo non obstante, cum muliere matrimonium, publica servata forma Tridentini Concilii, contrahere, & consummare, debitum conjugale exigere, & reddere licite possis, & valeas. In Nomine Patris, &c.

Pariter eadem Auctoritate Apostolica prolem susceptam, non tamen in adulterio, & suscipiendam legitimam esse, & fore declaro. In Nomine Patris, &c.

118. *Formula pro iis, qui matrimonium contraxerunt cum impedimento criminis occulto.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente (vel alio, si aliud sit) ut illo non obstante matrimonium cum tua putata conjuge contrahere, consummare, ac debitum conjugale exigere, & reddere valeas. In Nomine Patris, &c.

Pariter eadem Auctoritate (ut supra pro legitimitate prolis) &c.

119. *Formula concedendi jus exigendi debitum conjugale, postquam hoc amissum fuit ob peccatum incestus cum Consanguinea Conjugis.*

Insuper Auctoritate Apostolica, mihi

mihî commissa, dispenſo tecum, ut non obſtante aſſinitate, quam contraxiſti cum tua Uxore ex illicita copula à te habita cum ejus Sorore (vel, &c.) cum eadem remanere in matrimonio poſſis, debitumque conjugale ab eadem exigere, & redere valeas. In Nomine Patris, &c.

Hac omnia, & ſingula in hiſce quatuor libris contenta inſallibili Sanctæ Sedis judicio, & correctioni ſubmitto; & utens phraſi Petri Damiani addo: Nos, ſi quid erravimus, ad Petri magiſterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur.

F I N I S.



INDEX